

1994

A

7387

3: 2x 06



7.

VII

Q. D. B. V.
COLLEGII PUBLICI
DISPUTATIO VII.


De
TESTAMENTIS,

Ad
Tit. X. & seqq. libr. II. Institut.

Quam
IN ALMA FRIDERICIANA,
SUB PRÆSIDIO
DN. JOAN. SAMUELIS STRYKII,
J. U. Licentiati & Prof. Publ.
Extraordinar.

*In Auditorio Majori
die XIII. Maji A. R. S. MDCXCIII,*
publicæ ventilationi
submittit

CASP. CORSWANT.
Greipsw. Pomer.



HALÆ,
TYPIS CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT. BRAND.
TYPOGR.





I. N. J.

Th. I.



Mirari subit, cur Bertrand. d' Ar-
gentré in *Comment. in Consuet. Britann. ad Rubr. tit.*
22. p. 1902. Testamentum condere, conscientiae pe-
riculosum, & Justitiae contrarium statuatur. Sane
nihil est, quod magis debeatur hominibus, quam
ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, li-
ber sit stylus, & licitum quod iterum non redit arbitrium; uti ele-
ganter Constantinus in *L. 1. C. de S. S. Eccles.*

Th. II.

Servius Sulpitius Testamentum a mentis contestatione di-
ctum esse asserit, in *lib. de test. 2.* prouti hoc refertur a Gellio *Lib. 6. c. 12.*
Ast Etymologia vocis hujus, non vera, sed tantum allusiva est, quæ
non tam ad originem hujus vocabuli, quam ad sonum quadantenus re-
spicit. Ejus similitudinem attendisse videtur Imperator etiam in *Princ.*
Inst. de test. qui Servium secutus est. Rectius a testando derivatur, cum
ejusmodi actus hac voce significetur, qui coram testibus institui con-
suevit: Et quamvis Imperatorem defendat Petr. Greg. in *Syntag. Jur.*
p. 3. Lib. 12. c. 2. n. 3. Magis tamen erudite id ab eo fit, quam vere;
nec tam defendere Justinianum, quam excusare videtur.

Th. III.

Satis sibi constat testamenti definitio, si recte explicetur, Ita
ut adæqvata sit suo definito, eoque nec latior nec angustior. Omnis
difficultas, quæ in vocabulo *justa* constituta est, tollitur, si cum Cuja-
cio, Charonda, Petro Gregorio dicamus, voluntatem justam hic
idem esse, atque legitimam & secundum juris regulam procedentem,
sive juri consentaneam solenniterque confectam.

A 2

Th. IV.

Th. IV.

Quodnam testamentorum fundamentum sit, justo fere prolixius a Dd. disquiritur. Nos & jus Naturale & jus Civile huc pertinere adserimus, hoc tamen discrimine, ut ratione modi & circumstantiarum, quæ in illis observanda, juri Civili; quatenus autem alicui efficax rerum suarum competit dispositio, juri Naturæ innitatur.

Th. V.

Quamquam non ea superstitio nostro sedeat animo, ut credamus cum Veteribus, vim quandam atque efficaciam septenario inesse numero, ut habetur apud Gellium *Lib. III. Noct. Att. c. 10.* & Laertium *Lib. II.* Attamen cum Wissenbachio statuere non possumus, quod jus Civile, septem testes in testamento solenni requirens, a jure Divino ita recedat, ut septenarius ille testium numerus ab eo penitus sit alienus; quamquam id velit Alexander III. Pontif. in *Cap. 10. de Testament.* vid. Mæstertius *L. 2. de Just. LL. Rom. Dub. 44.*

Th. VI.

Jure quidem Canonico Clerici non tenentur adhibere in testamentis condendis tot testes, quot alias ordinarie requiruntur: Jure tamen Civili solennia in testando illis non remissa esse, rectius statuitur.

Th. VII.

In Testamento ad pias causas fœminas ad testimonium admitti negat Ludwell. *de Ult. Volunt. P. II. Cap. 3. p. 348.* Verum cum Pontifex in *Cap. II. in fin. X. de Testam.* ad veritatem saltem, non solennitatem respectum habeat, illa vero etiam ex fœminarum depositione haberi possit, non video, quare earum testimonium rejiciendum.

Th. VIII.

De bonis patrimonialibus testaturus Princeps, ad vulgata testamentorum requisita adstrictus non est. Ipse enim cum sua præsentia in privatorum testamentis supplere possit solennia *L. 19. C. de testam.* in suo testamento idem omnino facere potest; cui sententiæ quoque recte accedit Mylerus ab Ehrenbach. *de Principibus Imperii* 6. 26. N. 4.

Th. IX. Bo-

Th. IX.

Bona domanialia quod attinet, de illis testamentum non valere, dubio caret, cum alienationi obnoxia non sint, *per Capit. Intellecto 33. X. de Jurejurando*, & hanc ob causam Principis Successorem ea libere revocare posse statuit B. Dn. Brunnemann. *Consil. I.* Verum adhibito Statuum consensu hæc bona & alienari & testamento transferri possunt, Dn. Seidel *Diss. de Sacro Domaniorum jure Assert. XII. n. 3.* Idem de bonis noviter a Principe comparatis, bonisq; Domanialibus incorporatis statuendum est, quæ pro Domanialibus reputantur.

Th. X.

Heres ab intestato in conscientia sua obligatus est, ut præstet ea, quæ in testamento, licet non solenni, ideoque civiliter invalido, a Testatore expressa sunt: Nempe cum ejusmodi circumstantiæ adsint, quarum intuitu indignum prorsus atque indecorum esset, si defuncti voluntati non satis fieret; alias contrarium cum aliis statuimus; ac in totum subscribimus Ferd. Vasquezio *de Testament. l. 1. §. 1. n. 23.* qui heredem hic conscientiam suam scrutari debere asserit.

Th. XI.

Regulam illam, quam multi Dd. ex §. 7. *J. de testam. § L. 3. ff. de Off. Prat.* constituent, dum communem errorem jus facere dicunt, non probamus, sed penitus rejicimus. Alia enim arcessenda sunt quæ jus aliquod constituent, nempe ea de quibus *in Inst. de J. N. G. & C. vid. Wissenbach. ad Inst. p. 95.*

Th. XII.

Prodigus Testamentum omnino facere potest, antequam ipsi a judice vel Magistratu bonis interdictum. Non enim ipso jure pro prodigo habetur, sed judiciaria opus est cognitione atque interdictione, vid. Mynsin. §. *item Prodigus n. 2. b. r. & ibid. Wesenb. num. 3.*

Th. XIII.

Valet tamen testamentum prodigi licet vel maxime bonis a Magistra.

gistratu ipsi interdictum sit, si instituti ab ipso heredes sint, qui alias ab intestato etiam hereditatem accepissent. Non enim successio ab intestato Magistratus interdicto tollitur.

Th. XIV.

Vasallus non potest testari de feudo sibi concesso, quia non est absolutus Dominus. Anton. Peretz. *in f. C. h. t. nemo enim de rebus alienis disponere potest L. Conficiantur §. si post 3. ff. de jure Codicill. Wesenb. n. 9. in f. ff. de test.*

Th. XV.

Principibus, jure sanguinis Principatum transmittentibus, obstant Leges Regni vel Principatus, ne in alium quam eodem sanguine natum fiat transmissio, & quidem juxta gradus proximitatem. Unde Regem de regno plane testari non posse, recte asserit Molinæus *ad Consuetudines Parisienses Tit. 1. §. 13. Gloss. 3. n. 9.* quod tamen ad bona mobilia, aliaque ad patrimonium Principis vel Regis pertinentia non extendendum.

Th. XVI.

Princeps imperii de Principatu, licet Feudi nexu hunc teneat, adhibito Imperatoris & Agnatorum consensu, testari potest. Rosenthal. *de Feudis cap. 7. Conclus. 4. n. 6.*

Th. XVII.

Successor pacto confraternitatis destinatus, irritam facit testamentariam dispositionem. Betsius *de Pactis familiarum Illustrum cap. 4. & 5.* Falsa igitur est illa juris Civilis Regula *ex L. ult. C. de Pact.* quod nemo testandi Licentiam pacto adimere possit, & recte secundum usum in Germania introductum, successio conventionalis prævalet Testamentariæ, vid. Dn. Strykii *Tract. de successione ab intestato Disp. VIII, c. 7. §. 32.*

Th. XIX.

Th. XVIII.

Surdus & mutus testari possunt, si voluntatem suam nutu certisqve signis exprimere valeant, dummodo a Principe testandi facultatem impetraverint *Arg. L. Si mutus 7. ff. qui test. fac. poss.*

Th. XIX.

Testamentum a cæco conditum valere non dubitamus, adhibitis requisitis, quæ in *L. 8. C. Qui testam. fac. poss.* recensentur; & quidem speciatim exigitur, ut cæcus heredibus institutis certas assignet uncias; Licet enim aliis testatoribus hoc sit remissum, cæco tamen injunctum, inde non sustinetur testamentum, si forte tres heredes instituerit sine denominatione portionum hereditariarum.

Th. XX.

In Codicillis a Cæco condendis eandem cautionem adhibendam esse, quam in testamentis condendis adhibere tenetur, affirmatur a Maximiliano Imperatore in *Ordin. Notar.* unde non pauci colligunt, octo testes necessarios esse *Carpz. P. III. C. 6. D. 5.* Bacchovius *ad Tr. Vol. 2. Disp. 10. Th. 3. Lit. F.* His verò contradicit Blas. Michalorius *tract. de cæcis surdis & mutis c. 8. n. 4.* & sex tantum testes in Codicillo a cæco adhibendos esse, affirmat; quam opinionem & nos eligimus, & hanc cautelam pro cæco adjicimus, ad evitandas dict. *L. 8.* ambages, ut iudici testamentum offerat, quod ipsi plane denegatum non est.

Th. XXI.

In remedio contra eum, qui vi quempiam adegit ad testandum, constituendo iis, qui ab intestato heredes fuissent, non consentiunt *Dd.* Nos, qui ejusmodi testamentum nullum esse judicamus, petitionem hereditatis hic locum habere posse, defendimus eum *Manzio cit. de test. n. 31.*

Th. XXII.

Quemadmodum omne testamentum dolo elicatum nullum est, ita &, cum Jacobus simulaverit se esse Esavum, atque sic impetra-

traverit cum benedictione hereditatem Patris, illa omnia irrita & nulla de jure fuisse pronunciamus. Error enim in persona fuit, siquidem Isaacus quem voluit instituere, scil. Esayum, illum non instituit; quem vero noluit, scil. Jacobum, illum instituit, & sic defuit voluntas, quæ in omni actu requiritur.

Th. XXIII.

Testamento ob aliquem solemnum defectum corruente, legata tamen ad pias causas subsistunt; cum eorum subsistentia, non ex validitate Testamenti, sed ex simplici voluntate testatoris, dependat: cujus & sententiæ est Steph. Fagandez. *de Just. & Contr. act. L. 6. c. 3. n. 35.* atque hoc casu, accessorium (quoniam per se subsistere potest) non tollitur sublato Principali. Conferri meretur Tiraquell. *Tr. de Privileg. pie cause.*

Th. XXIV.

Testamentum nuncupativum pariter atque scriptum testes habere potest, & Legatarios & Fideicommissarios, juxta *S. XI. Inst. de testam. ord.* nec obstat regula, quod nullus sit idoneus testis in re sua: Negotium enim quod geritur, non ex re Legatarii aut Fideicommissarii est, sed testatoris & heredis.

Th. XXV.

Non potest testamentum militis inofficiosum dici *L. 27. §. 2. ff. de inoff. test. L. 9. C. eod.* sufficit enim, quod in eo expressa ultima ejus voluntas, reliquis etiam solennitatibus non observatis. Quemadmodum enim juxta illud vulgatum, Leges inter arma silent, ita & hoc in casu Leges ejusmodi, in testamento faciendo observandæ, inter arma non attenduntur.

Th. XXVI.

Pater suo consensu ratum facere non potest testamentum filii sui, de aliis quam bonis castrensibus & quasi castrensibus testantis. Facultas enim testandi non ex jure privati, sed ex jure publico est. Imo filius familias ne quidem consentiente Patre de bonis adventitiis, quorum Proprietas & ususfructus ad ipsum pertinet, testari potest. *L. penult. C. qui test. fac. poss.*

Th. XXVII.

Th. XXVII.

Justinianus bona eorum, qui capite damnati sunt, publicari ve-
luit, *Nov. 134. c. ult.* ob quam *Nov.* quidam contendunt, concessisse
etiam illis Justinianum facultatem condendi testamentum. Sed
hoc nobis cum veritate pugnare videtur, quia ibi non nisi descen-
dentibus & ascendentibus consulitur, ut salva ipsis sit legitima
successio, nullibi autem Testamentum condendi licentia illis adse-
ritur.

Th. XXVIII.

Quæstio illa nobilis admodum & pulchra est, cum a *Dd.* quæ-
ritur, an ad testamentum nuncupativum sufficiat, si testator se re-
ferat ad aliquam scripturam, qua continetur nomen heredis, & reli-
qua, quæ ad ejus voluntatem pertinent? Alii affirmant, alii negant.
Nos tamen hic negantium numero accedimus, quia hæc sententia
textibus magis conveniens est. vid. *Manz. tit. 4. de test. val. & in va-
lid. quæst. 2. n. 33.*

Th. XXIX.

Non videtur simpliciter necessarium, ut locus, ubi testamen-
tum factum, testamento adjiciatur, si nimirum a privato fiat. Alia
hujus rei ratio est, cum Notarius, facta nuncupatione, instrumen-
tum publice erigit, *Manz. tit. cit. quæst. 4. n. 4.*

Th. XXX.

Testamentum scriptum, propter mortem testium, qui reco-
gnoscere non possunt manus & sigilla sua, non omnem fidem a-
mittit. Nuda enim ac sola subscriptio & subsignatio, omnibus te-
stibus demortuis, plenam fidem meretur. Quo in casu, si a legiti-
mis heredibus subscriptiones & sigilla in dubium vocentur, plures
omnino probationes adsint oportet. *Anton. Faber. de errorib.
Prachm. Decad. 67. error. 3.*

Th. XXXI.

Etsi testamentum aliquod ideo nullum sit, quod testator in-
juste quosdam præterierit, aut exheredaverit, legata tamen & re-
liqua

B

liqua

liqua in testamento disposita, firma sunt. Nec differre videtur a præteritione exheredatio : quia exheredatio non rite facta ipsa fit præteritio, ita ut omnino statuendum sit, *Nov. 115.* loqui non modo de præteritione, sed & de exheredatione. *Bronch. cent. 3. ass. 29.*

Th. XXXII.

Quamvis Justinianus velit in *L. Jubemus. C. de test.* ut testator vel sua manu scribat nomen heredis, vel voce sua clarè efferat, ut perspicuum & manifestum sit, quem heredem fecerit, sufficere tamen conjecturæ ac præsumptiones possunt; Sed tales, quæ ex ipsius testamenti verbis colliguntur, quæque ita se habent, ut nulla relinquatur dubitatio, *Mench. L. 4. de Præsumpt. 19. n. 6. & seqq.*

Th. XXXIII.

Non quidem apud veteres, omnes Deos heredes potuisse institui, tradit Gothofred. *ad L. 26. C. de SS. Eccles.* Deus tamen rectè instituitur per text. in *L. I. §. Municipium 5. ff. ad L. falcid.* Imprimis a Christianis verus Deus vel Christus Dominus institui non prohibetur, text. in *Nov. 131. c. si quis 9. L. Quoniam 26. C. de S. S. Eccl.* ex quibus textibus apparet, ejusmodi institutionem non esse nullam.

Th. XXXIV.

Si vero quis sanctum instituerit v. g. Divum Petrum, sive Johannem, nulla tamen facta mentione ædis, illius sancti nomine heres instituta fuisse censetur illa Ecclesia quæ vel in civitate, vel in vicinia exstructa reperitur. Nam etsi omnia Dei sint, omniaque divinitus acceperimus, nec ipse bona temporalia requirat; ad cultum tamen divinum & sustentationem pauperum talia etiam necessaria sunt. His quicquid præstitum, sibi DEUS præstitum esse reputat. Quisquis igitur Deo aliquid testamento relinquit, ad cultum divinum & ad alios Ecclesiæ usus ac sustentationem pauperum reliquisse censendus est. Vid. *Zypæus lib. 3. consult. Canon. de Parock.*

Th. XXXV.

Th. XXXV.

Totum quidem Judæorum collegium & communitas heres institui nequit, *L. 10. C. de Judæis*, bene tamen Judæi singuli. *Mantica de conjecturis ult. volunt. lib. 3. Tit. 2. n. 20.*

Th. XXXVI.

Testamentum, in quo liberi non sunt instituti heredes, ne quidem vim Codicilli habet, licet clausula Codicillaris fuerit adjecta. Hæc enim clausula non medetur vitiis testamenti, sed defectum solennitatum tantum supplet. *Brunnemann. Exercitat. XI. pag. 90.*

Th. XXXVII.

Suo quidem modo verum est, quod conditio impossibilis habeat vim negandi; attamen si quis adjecta impossibili conditione fuerit institutus, simpliciter institutus censendus est. Conditio enim impossibilis omnem quidem vitiat contractum, non tamen ultimam voluntatem. *Manzius Tit. 7. quest. 7. n. 20. 21. & 22.* Si vero conditio, in se alias impossibilis, pro possibili tamen habita a testatore, in testamento adjecta, institutio illa nulla est.

Th. XXXIIX.

Heredis institutio in arbitrium tertii conferri non potest, *L. 32. pr. ff. de hered. Inst. de quo pluribus Manzius de Testament. Val. & inval. tit. 6. qv. 24. n. 2. & seqq.* An idem Jure Canonico obtineat, quæritur? Negativam, propter *Cap. 13. X. de Testam.* defendit *Barbosa ad d. c. n. 2. in fine.* Sed *Vivianus in Rational. Jur. Pontif. ad d. c.* aliique, textum ad dispositionem ad pias causas restringunt, nullamque hic inter Jus Civile & Canonicum differentiam admittunt.

Th. XXXIX.

Non omnes in infinitum homines institui heredes possunt; Verba enim Imperatoris §. 4. *Inst. de hered. inst.* dextrè accipienda; numerus enim infinitus, veluti incertus, pro indefinito ponitur.

Th. XL.

Non requiritur ut certus dies aut tempus in institutione heredis apponatur: Sed si id ipsum fuerit factum, tempus pro non adjecto habetur §. 9. *J. de hered. Inst.*

Th. XLI.

Observatu dignissima sunt, quæ habentur in *L. 4. ff. de vulg. & pupill. subst.* ubi statuitur, vulgarem substitutionem filio impuberi factam, continere in se tacitam pupillarem, & expressam pupillarem, tacitam vulgarem. Effectus hujus rei insignis est. Quemadmodum enim in expressa pupillari excluditur mater a successione filii impuberis, adeo, ut ne quidem hic quærela inofficiosa locum habeat, *L. 8. §. 5. ff. de inoff. test.* ita & in tacita pupillari quam expressa vulgaris continet, mater excluditur, *VViss. ad J. pag. 109.*

Th. XLII.

Testatoris in condendo testamento liberum omnino debet esse arbitrium: Sed certo tamen modo etiam statuendum est, quod arbitrium ejus non omni ex parte liberum sit, & non nihil Legibus coarctatum *L. Verbis 120. ff. de V. S.*

Th. XLIII.

Filii naturales, etsi non a patre, a matre tamen sunt instituendi, adeo, ut præteriti contra testamentum matris venire possint, per textum in *L. Si suspecta 29. §. 1. ff. de inoff. test.* item *L. Si qua Illu.*

Illustric Mulier. §. C. ad SCtum Orphit. Nullo vero beneficio gaudent, præter alimentorum præstationem, liberi illius, qui duas concubinas simul habuit, talis enim in jure odibilis dicitur per *Nov. 89. cap. 12. §. 5.*

Th. XLIV.

Si frater, turpi persona instituta, fratri suo aliquid quocunque titulo reliquerit, dicimus, eum non nisi ad supplementum legitimæ agere posse. Textus enim in *L. Omnimodo 30. C. de inoff. test.* generaliter loquitur, non tantum de filiis, sed aliis quoque personis, quibus legitima debetur, & non distingvit, quo titulo quid fratri fuerit relictum. Idem fere habet textus in *§. Sed hæc 3. §. 7. eod.* Huc accedit, quod olim legitima quocunque titulo potuerit relinqui, ut patet ex *Aut. Noviss. C. de inoff. test. Confer. Nov. 115. c. 3. & 4. in Princ.*

Th. XLV.

Non legitime exheredatus censetur filius, si Patrem ut proditorum patriæ juste detulerit, aut reum læsæ Majestatis arguerit. Amor enim patriæ salutisque publicæ præponi etiam amor parentum debet. Constat hoc ex *Nov. 115. cap. 3. §. 3.* quorsum pertinet decisio Juris Bavarici *tit. 35. art. 2. v. zum dritten.* Es wäre denn Sache/ daß durch die Eltern / eine schwere Verhandlung wieder den Römischen Kaiser oder König / oder ihren Landes-Fürsten / oder wieder den gemeinen Stand und Wesen oder gemeinen Nutz des Landes wäre vorgenommen.

Th. XLVI.

Si Pater distulerit filię maritum dare, usque ad ætatis annum 25tum, tum si contigerit, eam in corpus suum peccare, id filię non imputandum, sed quasi a Parentibus commissum creditur: nec hic locus exheredationi, est: quod expresse sancitum in *Nov. 115. c. 3. n. 11.*

B 3

Th. XLVII.

Th. XLVII.

An filia exheredari queat, si infra annum 25. absque parentum consensu nuptias contraxerit, disputatur inter Dd. Si digno nupserit, omnes quæstionem unanimiter negant: Si vero indigno, exheredari eam posse statuunt Paschalius *de Patria Pot. P. II. c. 5. n. 15.* Pelaez *de Majorat. qv. 50. n. 44.* aliique. Nos, modo non plane turpem elegerit conjugem, indistincte eam ab exheredatione liberam pronunciamus, uti etiam sentit Haunoldus *de J. & J. Tom. II. tr. 6. c. 7. n. 470. seq.*

Th. XLVIII.

Exheretatio filii, ab una religione ad aliam, quæ in Romano Imperio recepta est, transeuntis, ipso quidem jure nulla est, sæpe tamen usu venit, ut suo effectu non careat.

Th. XLIX.

Causam Exheredationis exprimendam esse in testamento, indubitati juris est. Simon de Prætis *de interpr. ultim. volunt. l. 3. interpr. 3. dub. 6. fol. 6. n. 8.* Sed si dixerimus, interdum & ipso jure, ac ab intestato, quem exheredem fieri posse, id alienum fortassis videbitur. Est tamen non alienum a mente Imp. quam exponit *in Nov. 115. c. 3.* ubi sub *num. 9. 12. 13. & 14.* casus tales exhibet.

Th. L.

Non satis mirari licet, cur magni nominis Dd. quasi communiter contra clarissimam sanctionem *Nov. 115. c. 3. in fin.* ejus opinionis sint, sub propositis exheredationum causis, majores etiam & similes subintelligi. Vasquius *de Succesf. progresf. l. 2. §. 17. n. 101.* Surdus *de Alimentis qv. 64. n. 20.* aliique plus quam 20. Existimarim tamen restringi potius non ampliari debere quæ odium continent: Mangil. *de Imput. qv. 52. n. 9.* in primis ubi voluntatem Legislatoris eandem esse, verba perspicue docent.

Th. LI.

Th. LI.


Quæri solet a Dd. legitima quo jure debeat, an jure naturali an vero civili? Plerique legitimam liberorum deberi jure naturæ existimant, per textum in *L. cum ratio ff. de bonis damn. L. Scripto 7. in fine. ff. unde liberi. L. Et quia 10. pro socio Conf. Treut. V. 1. Disp. 13. Th. XI.* Sed revera non ulterius, nisi quatenus alimentorum respectum habet. Illi tamen parum cauti sunt, qui eapropter legitimam Juris Civilis esse contendunt, quod a Legibus illa nomen receperit, nam in toto jure nostro, ni fallor, LEGITIMÆ mentio nunquam fit.

Th. LII.

Legitima quoad liberos & parentes minui quidem potest, sed non penitus tolli. Legitima enim Parentum causam habet, quæ in jure naturali radicata & fundata est, ac in totum sane auferri non potest, cum & jure N. a liberis alimenta debeantur parentibus *L. si quis a Liberis S. parens. ff. de agnos. fid. Mynsingerus Cent. obs. 44. per tot. Menochius lib. 4. Presumpt. 33. n. 3. Covar. de spons. & matrim. part. const. 8. S. 6. n. 5.*

Th. LIII.

Filius Judæus, Christianus factus, contra Patrem Judæum, pro legitima consequenda, agere potest, per *Nov. 115. c. 3. n. 14.* Ratio est religionis Christianæ favor, & odium Judæorum.





94 A 7387

ULB Halle

3


006 301 592



V. 17







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

7. VII
D. B. V.
REGII PUBLICI
INSTITUTIONIS VII.
De
MENTIS,
Ad
libr. II. Institut.
Quam
FRIDERICIANA,
PRÆSIDIO
MUELIS STRYKII,
atri & Prof. Publ.
aordinar.
torio Majori
A. R. S. MDCXCIII,
e ventilationi
bmittit
DR SWANT.
w. Pomer.
HALLÆ,
HELDII, REGIMINIS ELECT. BRAND.
YPOGR.